



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

31. An Capitulum Sede vacante possit absolvere ab excommunicatione
incurta propter percussionem Clerici; & quid de aliis censuris? Et similiter,
an possit punire, deponere, suspendere, & privare ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

ciunt Episcopi, & Diocesis innovari potest, cap. 1. & sequitur Sede Vacante.

4. Et ratio huius postre conclusionis est, quia Capitulum succedit in tota Episcopi iurisdictione ordinaria, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ut supra dictum est, nisi aliquid inveniatur ei prohibitum; at Episcopus iure ordinario potest condere leges, seu statuta pro tota diocesi, quae durent etiam post mortem ipsius, & hoc non inveniatur prohibitum Capitulo; ergo non est illi denegandum. Confirmatur, quia potest occurrere necessitas corrigendi aliquas pravas consuetudines: ergo potest Capitulum per statuta poenalia tali necessitati providere: erunt ergo illa statuta de se perpetua; quia hoc est de ratione statuti, ut dicunt communiter Doctores. Et quia nihil in hoc praedicitur futuro Episcopo; nam poterit illa revocare si expedire consulerit: ergo, &c.

5. Hinc inferitur posse Capitulum revocare statuta praecedentis Episcopi, si fuerit expediens, & contraria statuere, quia est aequalis illi in iurisdictione, & est posterius; ergo, sicut Episcopus successor potest revocare statuta Praedecessoris; ergo & Capitulum, quod Episcopo mortuo succedit in iurisdictione.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. ex lata doctrina Ref. 19 §. Ex his sed lege eam per totam.

RESOL. XXVII.

An Capitulum Sede Vacante, & eius Vicarius Generalis habeant facultatem dandi licentiam assistendi matrimonio, & ingrediendi Monasteria Monialium? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 49.

§. 1. Respondeo affirmatiue, & ideo sub nomine Ordinarij, qui & assistere, & assistendi licentiam dare potest in cap. 1. sess. 24. de reformat. Concilij Tridentini comprehenditur Capitulum, Sede Vacante, & eius Vicarius Generalis, cum succedat in omni iurisdictione ordinaria Episcopi; & ita docet Gutierrez de marr. cap. 66. n. 5. & 13. Pontius l. 5. c. 10. n. 4. & Bossius cap. 4. §. 21. n. 59. & alij pence ipsum.

2. Quoad licentiam vero ingrediendi monasteria Monialium iuxta Concilium Tridentinum sess. 15. cap. 5. de regular. Respondeo etiam affirmatiue; & ita tenet doctus, & amicissimus P. Pellizarius tract. de Mon. c. 5. sess. 5. n. 148 ubi ex Suarez probat sub nomine Episcopi in verbis Concilij venire etiam Capitulum, Sede Vacante, & consequenter Vicarium Capitularem, cum succedat in ordinata iurisdictione Episcopali.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. ex Ref. 90 §. 1. inter medium & finem. a vers. Praeterea censetur Ordinarij,

RESOL. XXIX.

An Capitulum Sede Vacante possit concedere monitoria ad effectum reuelandi? Ex p. 8. tract. 4. Refol. 17.

§. 1. Affirmatiue sententiae adherendum est, & ideo Rodriguez in summa tom. 1. cap. 71. num. 6. sic ait: El Cabildo Sede Vacante puede descomulgar a los que saben quien tiene lo ageno, para que lo descubran, y salgan del pecado, y puede poner las de mas descomuniones que puede el Obispo, y tiene autoridad para absolver dellos, como se dice en el derecho, salvo si son reservadas al Papa, pues el poder de descomulgar anda a paresas con el poder de absolver. Asi lo tiene despues otro Navarro. I assi puede poner un penitenciaro para que abusava de todo

Sup. hoc infra in Refol. 31. §. vii.

lo que puede el Obispo, como lo determina Panormitano. Ita ille.

2. Unde Merolla tom. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. n. 35. sic ait. Deducitur posse Capitulum, Sede Vacante, concedere Monitoria ad finem reuelandi bona perditam, vel scripturas, sub poena excommunicationis; quia hac potestas iure ordinario competeat Episcopo.

Sed de auctoritate ferendi censuras, & absolventi, superius a nobis actum est.

RESOL. XXX.

An Capitulum Sede Vacante, & eius Vicarius possit ferre censuras? Et an vero capitulum Sede Vacante possit ponere interdictum tam personale, quam locale, & etiam cessationem a divinis? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 11.

§. 1. Respondeo affirmatiue cum Hurtado de censur. in communi diff. 4. n. 10. ubi loquens de auctoritate ferendi censuras, sic ait. In vicario quoque, seu Prouisore Episcopi inuenitur, quia idem est tribunal Vicarij & Episcopi, ut constat ex cap. 2. de consuetudine, & ex cap. Romana 3. de appellat. in 6. Reperitur etiam in Capitulo Cathedrali, Sede Vacante, quia succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, ut deducitur ex cap. vnic. de maior. in 6. Et etiam reperitur in Vicario ipsius Capituli, ut deducitur ex Tridentino sess. 24. cap. 16. de reformato Ita ille.

2. An vero possit Capitulum, Sede Vacante, ponere interdictum, tam personale, quam locale affirmatiue respondet Auila de censur. part. 5. disp. 2. dub. 1. concl. 1. qui etiam part. 6. disp. 2. dub. 1. concl. 1. notat, Capitulum, Sede Vacante, posse imponere cessationem a Diuinis, sic enim ait. Non solum Papa, sed etiam Episcopi, & alij Praelati habentes potestatem Episcopalem, possunt potestate ordinata ponere cessationem. Ita Soto dist. 22. quest. 3. art. 1. concl. 3. Syluest. verb. cessatio Pater Henriquez n. 1. Couar. cap. vltima mater. part. 2. §. 2. num. 6. ubi verbi ex quibus, dicit esse communem; unde idem potest Capitulum Sede Vacante. Ita Couar. & Gloss. cap. si Canonici, de offic. ordinarij in 6. ubi ait, quod Canonici, Sede Vacante, possunt iure ordinario ponere cessationem, quia succedunt in iurisdictionem ordinariam Episcopi. Ita Auila.

RESOL. XXXI.

An Capitulum Sede Vacante possit absolueri ab excommunicatione incurta propter percussorem Clericis, & quid de aliis censuris? Et similiter, an possit punire, deponere, suspendere, & priuare beneficijs, & alia facere, quae ad correctionem spectant? Et an possit deputare Penitentiarios cum potestate absolventi ab huiusmodi excommunicationibus, & alijs casibus Episcopo reservatis? Ex p. 8. tract. 4. Refol. 12.

§. 1. Respondeo posse Capitulum absolueri ab excommunicatione lata, tam a iure, quam ab homine, quando ab illa Episcopus absolueri potest propter eandem rationem; & habetur expresse in cap. vnic. de maior. & obed. lib. 6. Excipiunt aliqui excommunicationem latam in can. si quis suadente, 17. q. 4. contra percussores Clericorum. Ratio eorum est, quia in cap. peruenit, de sentent. excom. ubi

Superius Ref. 11. non habet sequere.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. ex Ref. 90 §. 1. inter medium & finem. a vers. Praeterea censetur Ordinarij,

Sup. hoc infra in Refol. 31. §. vii.

ubi conceditur Episcopis facultas absoluendi ab hac excommunicatione, quando percussio est levis, habentur hæc verba: Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum. At nullus Episcopus inferior frater Summi Pontificis, sed filius appellatur, ut patet ex communi stylo Romanæ Curie.

2. Hæc tamen opinio mihi non probatur, nam licet procedat in aliis Prælatibus Episcopo inferioribus, secus verò in Capitulo, quod non est inferior Episcopo quo ad iurisdictionem, sed par quia eius iurisdictione vitur, habetque eamdem potestatem, tanquam subrogatum, arg. text. in cap. is, qui in ius, de reg. iur. in 6. vnde Capitulum non dicitur proprie Vicarius Episcopi, sed successor, ut docent Fedes de Sen. cons. 30. num. 6. post gloss. in cap. 1. de maior. & obed. lib. 6. Abb. in cap. cum olim, not. 1. extra ord. tit. Roman. dicens esse communem opinio- nem, consil. 505. numero 13. in fin. vbi Mandol. lib. 1.

3. Et ita etiam docet Molina tom. 6. tract. 5. disp. 11. num. 6. vbi sic ait. Ex eodem fundamento, quod tota iurisdictione Episcopi, quæ in iure denegata ei competitur, derivetur in Capitulum, Sede Vacante; constat Capitulum, Sede Vacante, excommunicare posse. Ita Navarr. in Manual. cap. 17. num. 5. relique est notissima. Potest item absolvere ab excommunicatione tam à iure, ut ob percussio- nem Ecclesiasticam, quam ab homine quando ab eis Episcopis absolvere potest. Ita habetur expressè cap. vnic. de maior. & obed. lib. 6. Potest similiter punire, deponere, suspendere, & privare beneficiis, & alia facere, quæ ad correctionem spectant; cum ea omnia ad iurisdictionem Episcopi spectent. Ita Mo-

4. Hinc inferitur posse Capitulum deputare Pœnitentiariorum cum potestate absoluendi ab huiusmodi excommunicationibus, & aliis casibus Episcopo re- servatis, sic Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 37. quæst. 6. Vgolin. de potest. Episc. cap. 36. Barbosa eod. tract. 3. allegat. 52. num. 7. Et quod dictum est de excommunicatione, di- cendum est etiam de aliis censuris, quæ militat ead- dem ratio.

RESOL. XXXII.

An Capitulum Sede Vacante possit approbare Confes- siones? Exp. p. 8. tit. 4. Ref. 46.

§. 1. Ad hoc dubium respondet Ludovicus à Cruz in Bulla Crucata. disp. 1. c. 2. dub. 24. ubi supponit sub nomine Episcopi in Concilio, intelligendum fore quemcumque Prælatum exem- ptum, iurisdictionem Episcopalem habentem in populum fidelium. Vnde nec Episcopus tantum elec- tus, nec etiam consecratus, si Episcopatum non ha- beat, nec demum Provinciales, aut Generales Reli- gionum approbationem huiusmodi dare possunt, quia neuter istorum habet iurisdictionem Episcopa- lem, & ordinariam in populum fidelium; potest tam- en eam impendere Episcopus electus, & confirma- tus, licet nondum sit consecratus, modò habeat Episcopatum, quia iam iurisdictionis actus exercere valet. Idem est similiter dicendum de Vicario Episcopi, quia vnus cum ipso censetur, illius siquidem iurisdictione vitur. Immo de Capitulo, Sede Va- cante, non est dubium, quin possit Confessores ap- probare, arque exponere; tum quia vnus communi- ter receptus hoc satis indicat, id enim efficit per Vi- carium suum; tum quia hic actus approbandi non est actus Ordinis Episcopalis, sed iurisdictionis, non

sibi specialiter à Pontifice delegatæ sed ordinariæ; hoc enim Episcopis tribuit Concilium ratione sui muneris. Idem ergo potest exercere Capitulum, quod Episcopo succedit in iurisdictione non tan- quam inferior, sed æqualis, ut tradunt Canonistæ in cap. olim. de maioriæ & obedientia, vbi Felinus ver- sic. 6. videri etiam potest. Vide etiam Nouarium in summa Bullar. tom. 2. tit. de Capitulo, Sede Vacante, num. 9.

RESOL. XXXIII.

An Capitulum Sede Vacante possit revocare li- centias Regularium obtentas ad audiendas confes- siones? Idem est de licentiis ad prædicandum. Ex p. 8. tit. 4. Refol. 48.

§. 1. M Ouet hoc dubium Fagundez de præceptis Ecclesie, p. 247. c. 2. n. 28. & ad illud sic respondet. Dixi n. 26. posse Capitulum, Sede Vacante, de iure revocare approbationem Mendicantibus datam: quia spectatis privilegijs Regularium aliter omnino dicendum est. Capitulum igitur, Sede Vacante, non potest hanc approbationem à præce- dente Episcopo Mendicantibus datam revocare, nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opeta commutanda propter speciale privilegium concessum Dominicis ut in eorum privilegijs continetur fol. 55. verso, & Franciscanis, ut in monumen- to Ordinis, fol. 113. concess. 144. à Clemente IV. ann. 1265. originale habetur in Conventu D. Francisci Salmantica, ut docet Rodriguez tom. 1. Bull. fol. 36. & idipsum docet Sylvest. verb. Confessor. 2. n. 4. q. 3. ad finem.

2. Hinc est, quòd mortuis Episcopis solet Capitu- lum, Sede Vacante, generali mandato revocare omnes licentias, & approbationes ab Episcopo præce- dente datas, compellens, ut omnes Confessarij com- pareant, iterum examinandi: quod mandatum, cum sit generale, non comprehendit omnes Regulares, nec vllum eorum; & quam vis de illis specialiter, expressè- que loqueretur, adhuc esset nullius momenti, cum sit directè contra illorum privilegium; nihil enim Capitu- lum, Sede Vacante, innovare potest quo ad Regu- lares. Ita Fagundez.

3. Sed apponenda hic etiam existimo verba Angeli Bossij de iubil. sect. 3. cas. 2. §. 1. n. 47. vbi ita asserit. Adverte solum successorem in dignitate, & iurisdic- tione, non autem in iurisdictione tantum, ut est Capitu- lum, Sede Vacante, posse semel absolutè appro- batos prævio examine iterum ad examen vocare, & approbare, vel reprobare, provt novit esse, vel non esse idoneos. Nam etsi successor in iurisdictione tan- tum, ut Capitulum, Sede Vacante, inspecto iure com- muni possit approbationes Regularibus concessas re- vocare, siue sint absolutè concessæ, siue ad tempus certum, durante eodem tempore: nihilominus à Cle- mente IV. anno 1265. (ut in eorum privilegijs conti- netur fol. 55. verso, & refertur à Iohanne Baptista Con- fecto in collectione privilegiorum Mendicantium, & Rodriguez tom. 1. Bullarum, fol. 36.) religiosis Domi- nicanis, & Franciscanis concessum est hoc privile- gium, ut Capitulum, Sede Vacante, non possit appro- bationem à præcedente Episcopo prædictis fratribus datam revocare, nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opera commutanda eisdem co- cessam: de quo privilegio mentionem faciunt etiam Sylvest. verb. Confess. 2. n. 4. Alexand. Peregr. 1. p. privi- legiorum sui Ordinis, tit. absolutio quoad seculares, §. 7. & Fagundez de iro cap. 2. num. 28. vnde si Capitulum mortuo

Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Refol. 63. & A esse mesmo, & in Ref. 80 §. vlt. ad lin. 4. & magis late in Ref. 82. & quoad revo- cationem licentiæ ad prædicandum, late principio à Ref. 1. huius annor.

Sup. hoc late in Ref. 1. not. præter- ritæ ab eius principio.

LIBRERIA
D. III. IV. V
E. III